

27j  
E

ORDINIS MEDICORVM

H. T.

DECANVS

ERNESTVS ANTONIVS NICOLAI  
SOLLEMNIA INAVGVRALIA

CLARISSIMI MEDICINAE DOCTORANDI

IOANNIS HENRICI LVCAS

SALZVNGENSIS

DIE XXV. OCTOBRIS CCCCCCLXXVI.

HABENDA INDICENS

PRAEFATVR

DE MODO AGENDI APERIENTIVM ET MAR-  
TIALIVM MEDICAMENTORVM.

---


IENAE

LITTERIS FICKELSCHERRII.



**M**edicamenta ab effectu, quo vasa obstructa aperiunt, dicuntur aperientia. Nihil aliud itaque agunt, quam quod obstructions vasorum tollant; quae vero cum a variis producantur caussis, tot diversa eorum debent esse genera, quot sunt obstructionum causae. Vasa obstruuntur a causis, aut in eorum parietibus aut extra eos aut in eorum corpore contento haerentibus. Si spectamus fluidum in vasis contentum et per ea movendum, id humido diluente et sua fluiditate privari, tenax et spissum ac ad motum per vasa ineptum evadere, eaque obstruere potest: quod, si factum est, postulat humida diluentia. Haec igitur sunt in eo, de quo sermo fuit, casu aperientia. Porro fluida spissa in vasis stagnantia eaque obstruentia resolventium medicamentorum ope eo perduci possunt, ut per vasa transeant eaque aperiantur, ex quo

quo resolventia etiam in classem medicamentorum aperientium esse referenda, facile est ad perspiciendum. Cum vero fluidorum spissitudo variis sit generis, pituitosa et inflammatoria, et a variis proficiscatur caussis, resolventia spissitudinis indoli et caussis omnino esse accommodanda, per se patet. Si consideramus vasa, haec aut constricta aut relaxata aut rigida aut compressa obstructiones producunt. Vasa minima justo maiori contractione valde angustata transitum fluidi non permittunt; unde obstructiones oriuntur, quo in casu ea remedia sunt aperientia, quae ista vasa constricta relaxant. In motu fluidorum per vasa minima haec ut resistentia sunt consideranda et vasa majora ut vires pellentes. Fluida enim sese ipsa non movent per vasa minima, sed per ea moventur a vasis maioribus se contrahentibus, quae ergo, si sufficienti vi se contrahere non possunt aut nimis relaxata sunt, fluida per vasa minima propellere non possunt, unde obstructiones nascuntur. Quae itaque vasa ista relaxata roborant, obstructiones tollunt adeoque aperientia evadunt. Quae doctrina praebet fundamentum, ex quo virtus martialium remediorum facili negotio explicari potest. Est communis medicorum sententia, martialia agere roborando, quamvis de modo, quo robur augent, non convenient. Ad eandem et ego accedo sententiam et exinde reddo rationem salutarium istorum effectuum, quos martialia producunt in cachexia, in qua, quando decenter adhibentur, robur fibrarum et vasorum labefactatum restaurant, inflatum et tumidum corporis habitum dissipant, agilitatem membris antea segnibus et torpidis et colorem frigidis partibus reddunt, colorem faciei pallidum in vividum



vidum rubrum mutant, paucis, omnes partes omniumque partium actiones ad sanitatem reducunt. Quae omnia sola praestare mihi videntur virtute sua roborante, qua vasa maius robur adepta majori vi se contrahunt et maiori impetu propellunt fluida, humores in cachexia abundantes pituitosos resolvunt, fluida aquea praedominantia evacuant, sanguini majorem densitatem et ruborem conciliant, stases et tumores dissipant ac maiorem excitant calorem, vt pote qui cum motu humorum crescente crescit. Me sub martialibus tam limaturam ferri, quam praeparata ex ferro, quae ferrum continent, vt crocos martis et tinturas martiales idque genus alia, intelligere, vnicuique patet. Ad illorum sententiam, qui putant, limaturam martis in primis tantum viis suā exsicerere efficaciam absorbendo acidum nec penetrare ad massam sanguineam, accedere non possum, quia limatura martis a debili et diluto acido solvi et soluta omnino per vasa resorbentia et lactea ad massam sanguineam deferri potest. Tantum acidi, quantum requiritur ad solvendam limaturam martis, vel iam adest in primis viis vel in eas per cibos et potulentia defertur. Concedo, limaturam martis absorbere acidum in primis viis haerens vel ad eas delatum et sic efficere, vt salia acida in minori copia ex primis viis abeant in massam sanguineam et minus infringant et mutant salium alcalicorum actionem, verum num hic effectus tantus sit, vt ab eo omnes reliqui salutares effectus limaturaē martis dependeant et deduci possint, mihi non est vero simile. Illustrissimus VAN SWIETEN meam de martialium et praecipue limaturaē martis virtute roborante sententiam suo confirmat testimonio, qui in

in suorum *Commentariorum in Aphorismos Boerhavii*  
 Tom. I. pag. 37. ferrum in lenibus acidis solutum, in-  
 quit, reliquis fere praeferuntur; quia non tantum vi au-  
 stera adstringente agit, sed sulphuris sui metallici, naturae  
 humanae adeo amici, miro stimulo vires vitae incitat  
 et l. c. T. III. p. 659. limatura, ait, ferri in roborandis  
 solidis nimis debilibus partibus mirabilis efficacia est,  
 immo in praxi numerosissimos casus vidi, vbi solo hoc  
 remedio, aromatibus gratissimis juncto, superabatur  
 cachexia, lenibus evacuantibus tantum per tres quatuor  
 ve dies prius exhibitis, ut nempe primae viae ab omni  
 saburra mucosa et indigestibili materia liberae forent.  
 Hactenus illustrissimus VAN SWIETEN. Roborantia et ad-  
 stringentia gradu tantummodo inter se differunt, ita, ut  
 roborantia in maiori quantitate adhibita adstringentia,  
 et adstringentia in minori copia usurpata roborantia  
 evadant. Croci martis dicuntur alii adstringentes, alii  
 aperientes, quorum hi roborante et minus adstringente,  
 illi maiori adstringente virtute praediti habentur, et  
 modo adhibendi illos in hos et hos in illos mutari posse,  
 mihi persuadeo. In cachexia, vbo in primis viis crud-  
 itates viscidae et pituitosae lentusque mucus haeret, li-  
 maturam ferri in substantia exhibere nolle, quia vi-  
 scido primarum viarum sic inviscari et obduci poterit,  
 ut vel nihil omnino vel parum tantum agat; contra vero,  
 si acidum adest vel praedominatur in primis viis, tunc po-  
 tius in substantia darem, quia acidam acrimoniam ab-  
 forbet et mitigat simulque in hoc acido soluta suos pro-  
 ductus effectus. Magnam quoque utilitatem habet ferri  
 in fontibus medicatis vel acidis vegetabilibus soluti usus  
 in laxa et flaccida partium solidarum et viscerum consti-

tutione, vbi neque scirrhus neque ulcus viscera occupat. Quod attinet ad vasorum compressionem, vt obstructionis caussam, manifestum est, illa sublata obstructionem tolli et vasa aperiri. Vasa rigida sunt vel angusta vel maiora. Illa rigiditate se contrahunt et occludunt. Quae igitur haec relaxandi virtutem possident, vim habent aperientem. Vasa rigida majora, vt cor et arteriae, minus cedunt impetui fluidorum et minus se dilatari patiuntur, hinc eorum diastole, et, quae ei respondet, systole, qua fluida propelluntur, est minor, motus ergo fluidorum per vasa, praesertim minima, fit tardus et difficilis, adeo, vt, si rigiditas est magna, ad quietem perducatur et vasa obstruantur, quo in casu ea, quae relaxando tollunt rigiditatem, aperientem exserere effectum, manifestum est, sed pedem hic figo, restat enim mihi producendus


CLARISSIMVS MEDICINAE DOCTORANDVS  
**IOANNES HENRICVS LVCAS**  
 SALZVNGENSIS,

cuius curriculum vitae studiorumque rationes propriis eius verbis exponam:

**E**go Io. HENRIC. LUCAS, *huius universi adspexi lucem Salzungae, anno millesimo septuagentesimo et quadragesimo nono, die quinto Februarii.* Pater mihi fuit I. G. LUCAS, *civis honestus, et mater ANNA MARIA e stirpe UTERIA.* Prima optimorum parentum cura fuit, ut religionis principiis atque litteris, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, rite imbuuerer. Quo fine me tradiderunt magistris scholae patriae, et, cum ad maturiorrem pervenisset aetatem, illustri, quod Meiningae floret, Lyceo, ubi per tres annos fidelissima virorum clarissimorum et doctissimum,

rum, nempe *Inspectori HOPFIL, Reftoris EMMRICHII et Conre-*  
*floris VOLCHARDI, usus sum institutione. Quorum multa et*  
*maxima merita amorisque et benevolentiae in me collata documenta*  
*insignia nunquam obliuiscar gratissimaque semper recolam mente.*  
*Anno millesimo septingentesimo et septuagesimo primo in hancce cele-*  
*berrimam musarum sedem me contuli, ibique a Viro Perillustri,*  
*serenissimi Ducis Saxon-Gothani et Altenburgensis tunc Consiliario ju-*  
*stitiae intimò SCHMIDIO, tunc temporis sceptrta academiae tenente, in*  
*civium academicorum numerum sum receptus. Cursum litterarum*  
*academicum incipiens philosophicas, mathematicas et physicas Viros*  
*rum illustrium, SUCCOVII et WIDEBURGII, nec non Excellentissi-*  
*mi ULRICHI, frequentavi, et collegiis illustris NICOLAI, de me*  
*maxime meriti, in physiologiam, pathologiam, semioticam, ma-*  
*teriam medicam et artem concinnandi formulas medicamentorum, in-*  
*signi cum fructu interfui. Illistris NEUBAUER me erudivit in ana-*  
*tomia chirurgia et arte obstetricia. Sed paullo post in Franco-*  
*Galliam vocatus ad virum quendam Perillustrem, ei per duo annos*  
*in chemicis laboribus et operationibus adstiti operamque navavi.*  
*Redux vero in Germaniam factus Ienam me contuli ad studiorum*  
*meoram cursum rite absolvendum, ibique illustris Consiliarii Au-*  
*lici GRUNERTI paelectiones semioticas et in therapiam tam genera-*  
*lem, quam specialem, summo cum fructu frequentavi. Praece-*  
*ptores quoque habui in physiologia et botanica Excellentissimum BAL-*  
*DINGERVM, in osteologia et chemia Praenobilissimum ac Expe-*  
*rientissimum SCHENCKIUM; in medicina forensi et de diaeta erudi-*  
*torum observanda Excellentissimum quondam Professorem MAYE-*  
*RUM. Denique historiam naturalem me docuit Illistris atque Ex-*  
*cellentissimus WALCHIUS. Quorum Virorum in me merita maxima*  
*nulla unquam apud me delebit oblivio.*

Petiit ille a Nostro Ordine, ut summos ei tribueret in  
 arte nostra honores. Eo fine consueta subiit examina  
 eique facultas concessa est, suam disputationem publice  
 defen-



defendendi, id quod faciet die XXI. mensis Octobris  
Praefide Viro illustri, excellentissimo et experientissimo

**CHRISTIANO GODOFREDO GRVNER**

*Medicinae Doctore Celeberrimo, Serenissimi Ducis  
Saxo-Vinariensis et Jenacensis Consiliario Aulico  
Botanices ac Theoreticae Medicinae Professore Pu-  
blico ordinario, Academiae Caesareae Naturae Cu-  
riosorum et Electoralis Moguntinae scientiarum  
utilium Sodali, Societatis latinae Jenensis  
Sodali Honorario.*

Cui solemnitati ut *Magnificus Academiae Proreector*,  
*Comes S. R. I. Illusterrimus*, *Patres academiae Con-  
scripti, Professores et Proceres academiae Spectatissi-  
mi, Generosissimi ac Nobilissimi Domini Commilitones*,  
*omniumque ordinum ac dignitatum Hospites honoratissi-  
mi interesse eique sua praesentia maiorem splendorem*  
*et dignitatem conciliare velint, ordinis mei nomine hu-  
nanissime ac observantissime oro rogoque. P. P.*

sub sigillo Facultatis medicae d. xvi. Octobris

cl<sup>o</sup> DCC LXXVI



defendendi,  
Praeside V

**CHRIST**

*Medicina  
Saxo-Vi  
Botanice  
blico ord  
riosorum  
utilium*

Cui solem  
Comes S.  
scripti, P  
mi, Gener  
omniumque  
mi interess  
et dignitate  
nanissim  
sub si



© The Tiffen Company, 2007

is Octobris  
perientissimo

**IRVNER**  
*imi Duci  
io Aulico  
ffore Pu  
turae Cu  
ientiarum  
fenensis*

Proreector,  
demiae Con  
Spefantissi  
ommilitones,  
s honoratissi  
splendorem  
nomine hu  
ie. P. P.  
Octobris